

Zeno.

13.

Psal. 2. Act. 4.

D. Chryf.

14. Filius Dei habet clavem ad salutem, diabolum ad mortem. Apoc. 1.

15. Eccl. 15. Prov. 18.

Cant. 4.

D. Ambr.

16.

Gen. 14.

tum dicit; quia supponebat, ut notum & manifestum quod in omni impugnatione externa dabatur alia interna diaboli, ex cuius instinctu omnia mala externa prodibant, quae spiritualis nequitia omnium malorum origo erat. Ita D. Zeno ad eundem Psalm. *Causa noscenda est, ait, cur auctores impugnationis silentur. Omnes humana injuria, qua religiosis viris inferuntur, non eosdem habent auctores, quos habent ministros; executio quidem hominum est, sed diaboli instinctus est.*

Meditatur D. vid imperium factum Jerosolymis in Dominum Jesum, dicens: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terra; & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum eius.* Psalm. 2. num. 1. quem locum de Christo explicat D. Petrus Actor. 4. num. 16. Unus tantum Rex Herodes, unus tantum Princeps dicitur astitisse adversus Christum Dominum; si ergo unus Pilatus, & unus Herodes astiterunt in Jesum, quomodo dicit David, & Reges, & Principes astitisse? verum est, quod Rex, qui videbatur, unus erat; & qui non videbantur multi Principes cum Rege tenebrarum harum, Princeps qui videbatur Pilatus; & simul adertant spiritualium nequitiae Principes, qui nunquam desunt. Proindeque non unus Rex, non unus Princeps, sed multi coadunati invisibiliter, qui totius nequitiae erant fomites, & instigatores. D. Chrysolom. ibi *Nunquid Herodes reges: Nunquid Pilatus Princeps? sed non erant Apostoli, sic sunt interpretati. Cum Rege enim Herode, peccati quisque regem Diabolum ostenderunt, & cum Principe Pilato demonum potestates, & Principatus significarunt.*

QUAESTIO II.

Quare per puteum abyssi Hereticorum impietas significatur.

Narrat hic Joannes, quod huic stellae, seu Luciferi data sit clavis putei abyssi, potestas nempe à Deo permessa ad haereticum colluvionem inferendam. Aliter datur clavis Filio Dei, aliter Luciferi, Dei autem filio de quo dicitur, cap. 1. num. 18. *Habeo clavem mortis, & inferni:* Traditur clavis ad perimendam mortem, & vitam dandam; *Data est mihi omnis potestas predicare omni creaturae.* Matth. 28. At verò Luciferi datur clavis ad aperiendum puteum abyssi ad inducendum omne mortiferum venenum, & pestem errorum in orbem.

Sicut aqua in Scriptura denotat sapientiam. *Ecclesiast. 15. num. 3. Aqua sapientiae salutaris potabit illum.* Prov. 18. n. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri.* Sic & puteus denotat multitudinem sapientiae, ut etiam & fons, Cantic. 4. n. 15. *Ens hortorum puteum aquarum viventium.* U. interpretatur D. Ambr. lib. de Isaac & Anima cap. 4.

At verò puteus cum adimento frequenter sumitur in malam partem & denotat doctrinam Hereticorum. *Genes. 14. dicitur Vallis enim silvestris habebat puteos multos bitu-*

minis. Quae vallis illa fuit, in qua Pentapolis Sodomorum à Deo est everfa, quae nunc est mare salum. Puteos ergo illos Origen. homil. 12. in Numer. de Hereticorum aquis mortiferis exponit, & bene dicitur vallis, quia omnis iniquitas, semper depressa ad ima fertur; & bene mare salum, quia peccatum nihil suave, nihil dulce habet, & putei repleti sunt bitumine, nam bitumen esca, & nutrimentum est ignis, ad ignem autem omnis haereticus est deputata.

In praesenti non solum dicitur puteus, sed *puteus abyssi.* Abyssus, ut ex radice Graeca colligit Ribera, significat profunditatem magnam legitur rem sine fundo. Et ideo dicitur in Scriptura de profunditate aquarum maris. *Exod. 15. num. 5. Abyssus operuerunt eos; descenderunt in profundum quasi lapis.* Et inde hoc nomine denotatur infernus. *Luc. 3. n. 31. Et rogabant illum ne imperaret illis, ut in Abyssum irent.* Dicitur autem in praesenti *Clavis putei abyssi*, ad maiorem emphasim. Unde *Psal. 68. num. 16. dicitur Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum, Tria mala à se depelli deprecatur David ut explicat D. Augustin. Non me demergat tempestas aqua consentiens blandiis victorum Non me absorbeat profundum. Ut ad profunditatem peccatorum deveniam. Non urgeat super me puteus os suum, id est non ita me teneat profunditas iniquitatis ut ad confessionem ac penitentiam non valeam converti: *puteus inferni.* *Psal. 54. n. 24. Juxta communem sententiam dicitur de inferno ob profunditatem & obscuritatem.**

Dicitur ergo Luciferi data clavis putei abyssi, hoc est permessa est potestas ad omnem malitiam haereticalem per omnes orbis partes introducendam in mundum praecipue ultimis temporibus, & ideo dicitur talis potestas, seu clavis daemone data, quia ab ipso daemone, ab ipsoque inferno omnis haeretica impietas ortum habet, ut ab aquis stygiis.

Tamen merito dubitabis, si puteus abyssi ita profundissimus est, quomodo fumus potuit ita ascendere, ut obscuritatem soli inferret, quia haereticus in principio, ita obtegit, & occultat virus suum, ac si nullo modo appareat, tanquam si esset immersum in profundo putei, sed ita postea insolenter insurgit ac spargit ut non veareatur, si fieri potest, quod usque ad ipsum solem pertingat. D. Thomas *Aperuit, ait, puteum abyssi, id est profunditatem tenebrarum nequitiae Hereticorum fecit manifestam, quia haereses prius latentes fecit proferris ad decipiendum alios. Quod prius docuerunt Eucherius Episcopus, & Beatus Presbyter lib. 1. contra Elipandum.*

Omnis ergo haereticum colluvies, omnesque haeretici qui contra Dominum Jesum insurrexerunt à Satana inducti, ac agitati sunt, quorum typus fuit Judas, qui inter fulgentissimas stellas Apostolicas erat, ait D. Matth. 26. num. 47. *Ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladibus & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi.* Ecce perfidus proditor, dux factus est pessimum hominum qui contra Jesum convenerunt, de quo ait Joan. 13. n. 27. *Intravit in eum Satan.* Omnes enim tales à Satana possidentur, & inflgantur.

D. Athanas. homil. de semete; componit Absalonem

Origen.

Puteus bituminis haereticus.

Haereticus ad ignem.

17. Abyssus magnam profunditatem dicit.

Exod. 15.

Luc. 8.

D. Aug.

Psal. 54.

19.

19. Haereticus primum occultat suum venenum, postea manifestat.

D. Thom.

Eucherius.

20.

Matth. 26.

Satanas duces haereticorum quavit. Joan. 13.

21.

2. Reg. 8.

Judas dux & Princeps Hereticorum

D. Athan.

21.

Luc. 15.

Diabolus duces facit turpitudinum.

D. Chryf.

23.

Haereticorum doctrina obscurans & foetida.

Absalonem cum Juda proditore, & ponderat divinitus factum esse, quod celebre illud Mausoleum ab Absalone in sui memoria erectum, vocatum esse *Absalonis manus* usque ad hanc diem, 2. Reg. 18. n. 18. Tunc sic ait D. Athanasius. *Locus ille, ubi sublati sunt Absalon. Manus Absalon in hodiernum diem nuncupatur. En quam exacte imagines inter se congruunt. Si quidem locus ille non vocatus est per Absalonis, sed manus; neque item caput Absalonis, Prior enim fuit capite manus, quae productionem exercuit secundum exemplar istius. Ita D. Athanasius confert Absalonem cum Juda proditore; tanquam manus cum suo capite. Nam Absalon, & qui ante proditores extiterunt manus tantum erant; & qui postea, pedes computantur. Ut illic Judas proditorum pessimum, & quod hominum caput factus est, Princepsque exitit, in quem Satan introivit, à Satanaque possessus est, ut esset Dux & caput talium iniquorum, hoc enim maxime satagit Diabolus: tales duces constituere ad alios decipiendos.*

Prodigus ille filius à Patre suo separatus, missus est à Domino suo, ut porcos regeret & custodiret, ut pasceret porcos *Luc. 15. num. 15.* & quis Dominus iste, qui talem filium à Patre separatam ducem, ac rectorem porcorum, seu immundorum animalium constituit, Dominus iste diabolus erat cuius continuum studium est non solum homines iniquos, ac turpitudine plenos facere, sed etiam duces, ac capita eorum creare. D. Chrysolog. *serm. 2. Quod autem mercenarius suos diabolus mittat ad porcos, facit hoc insatata crudelitas, qua contenta non est homines criminosos fieri, nisi eos duces criminum faciat, & magistros.*

QUAESTIO III.

Quare fumus exiens à fornace magna tantam caliginem ac obscuritatem, induit in orbe.

Alit Text. *Et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magna, & obscuratus est sol, & aer à fumo putei.* Puteus in praesenti est pravitas haereticalis ab inferno prodians, superiori quaestione diximus, ab hac ergo pravitate haereticali, tanquam à fornace magna ac maxime succensa & vehementer grassante, praecipue ultimis temporibus Antichristi, prodit densissimus fumus; id est propagatio, ac propropatio haereticalis doctrinae, ita ut ad ipsum solem, nempe Christum D. pervenerit, non in seipso, sed ad eius cognitionem, ac fidem, ut latius dixi in expositione.

Reddè ergo Hereticorum dogmata fumo comparantur, quia videlicet lumen veritatis in caliginem vertunt, & omne quod in Scriptura sacra Electis lumen fidei praebet, totum penè Hereticum maligna cecitate obscurare intendit, & vitam spiritalem in multis suffocat; cuncta filigine replet, in bonis lachrymas excitat, eorumque nares multo foetore offendit. Valde foetida est Hereticorum doctrina; Hinc Abdias Babylonic. lib. 4. Certaminis Apostolici narrat.

Quid clam Hermogenes ante pedes Apostoli Jacobus suos projecisset libros, ut comburerentur. *Apostolum dixisse: ne forte odor incendii vester incensus appende Zabyris, Zabyra Graecè est repositorium armamentorum, Lapidis, & plumbum, & mitte in mare, preme verbum sequens, Ne forte odor incendii vester. Noluit Apostolus, ut illius haeretici libri igni traderentur, sed in mare projicerentur, quia ita foetida, & maleolens illius doctrina erat, ut fumus, qui ex librorum incendio emanaret omnia inficeret, & foetore suo canctorum nares offenderet.*

Pro qua re audiendus est Pannonius de fumo sic differens: *Quam acerba est, ait, doctrina Haereticorum, apta metaphora explicatur, eo quod prius fumo exaetur: fumus imprimis gravis odore est, acerbis usque ad lachrymas oculos peringens, spiraculum vita impediens, amarus gustu, jugulo noxus: obest & intestinis maxime adeo pragnantibus, ut & fetum, quandoque vero solet praefocare: saepe numero usque ad punctiorem ipsum cor pungit: officit nonnihil & capiti, ut nihil sit validum, quod non perturber, nihil tam sincerum tam candidum, quod non fuligine inficiat: ut recte per ipsum corruptum, ac pestilens Hereticorum dogma capiat: quod primum facti luminis privat mentem; ne recta acie certum cernat, deinde conscientiam perturbat, privat autem vitali gratia spacuulo, simulque omnia interiora inficit; ac corrumpit, ad extremum luctum perurgens hominem.*

Secundò, fumus iste, magnae fornacis fumo similis perhibetur; fornax magna est novissima vexatio, novissimaque Antichristi persecutio, ex qua fumus egredietur, falsa nempe Hereticorum doctrina; sed de illa persecutione ait Christus. *Matth. 24. Erit tunc talis tribulatio, qualis non fuit ab initio saeculi, usque ad tempus illud, nec fiet.* Quomodo ergo iste fumus dicitur similis fumo fornacis magna? Quae enim similitudo fumi cum persecutione inaudita. Itane intolerabilis fumus, ut ejus solum similitudo ita cruciet, ut illius cruciatus, tribulationis, qualis nunquam fuit, nec supra est nomen meretur: Haec erit falsorum miraculorum apparentia adversus suos, Dei inauditam persecutionem commovebit Ansbertus Abbas. *Sciendum nobis, ait, quod non propter tormenta, nec propter falsa dogmata, sed propter falsa miraculorum signa persecutio illa inmanior narratur. Hoc enim indicat Dominus dicens, tunc surgent Pseudo-Christi, & Pseudo-Propheta, & dabunt signa magna & prodigia; ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Citato cap. 24. Matth. eadem habet H.ymo.*

Tertio, & fumo putei obscuratus est sol, & aer, sed quomodo sol luminare majus imò & luminis fons, ac etiam ipsa aeris regio, quae valde perlucida, ac crystallina est, obscurari potuit. Respondet D. August. *Obscuratum dixit solem, ait, peccata enim malorum, & superbiorum obscurant solem, id est Ecclesiam, & sanctis ac justis faciunt obscuritatem. Mala societas unius peccatoris, seu fumus peccatorum obscurant solem, ac aerem, id est Ecclesiam, ita sanctus, ac justus obscurant, ut vix splendor, ac lux eorum virtutum percipi, ac cognosci valeat; Quae Philo Hebr. lib. de Opificio mundi cur Sol, & Luna per tot millium annorum, tam incessanter luceant, ac illuminent terram, Respondet. Malitia*

25.

Pannonius

26.

Matth. 24. Falsorum miraculorum apparentia magna persecutio.

Ansbertus

27.

Mala societas unius peccatoris

Philo.

Respondet.



M. liti procul a terminis caeli exulat. In caelo non est malitia iniquitatis, ac peccati, nam si haec daretur ibi; ita peccaret una mala societas iniquitatis, ut etiam splendorem Solis, & Lunae obscuraret, ac nigrescere faceret.

28. Affectus cupiditatis motem obscurat.

Rupert.

29.

Rom. 1.

Amor concupiscentiae mentis obtebratio.

Rupert.

30.

Judic. 16.

Cupiditatis annexa caecitas.

Drogo.

Quartid, ait Text. Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magna, & obscuratus est Sol. Simul a puteo, ut a fornace magna, vehementi impetu ignis & fumus exeunt, ita ut multo certamine contenderent, quisnam egrederetur prior, ubi enim est ignis concupiscentiam inflammas, statim adest caliginosus fumus lumen mentis obscurans, ac excacans. Rupertus: Quia videtur, ait, sicut fumus non nisi ex subiacente igne fit; sic non nisi ex procedente causa cupiditatis sine concupiscentia nascitur caecitas mentis, seu obscuratio cordis sapientis.

Loquens Paulus de sapientibus hujus saeculi, qui & magno ingenio erant praediti, multa eruditione excoliti, & laborioso scholarum studio exercitati. De illis ait Rom. 1. num. 22.

Stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginum corruptibilis hominis. Unde fieri potuit, quod homines tanto studio, ac sapientia excoliti, in tantam demerentiam devenerint, ut gloriam Dei immortalis in imaginem, ac figuram hominis corruptibilis mutarent, & ut supremam majestatem adorarent: quod debile signum erat subdit Apollolus n. 24. Tradidi illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. Cum suis cupiditatibus, ac carnis desideris essent derenti, ac emerisi, ab eis tanquam a fornace magna prodit fumus, eorum mentem obscurans, & obtebrans; infirmitas ut majestas; infirmitas ut fortitudo, deformitas ut pulchritudo reputatur. Rupertus ubi sup. a. Ascendit fumus, ait, usque ad sapientes saeculi; quos obscuravit; de quibus Apollolus dicit: sed evanuerunt in cogitationibus suis. Et obscuratum est insipientes cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & tunc funus ejusmodi, sicut fumus dicitur fornacis magna, & obscuratus est Sol de fumo putei.

Cum Samsonis virtus esset omnino insuperabilis & Philisthai agnoscerent eum esse maxime Dalila amore vulneratum, pactum iniierunt cum ea, ut eam traderet in manibus suis, & cum mulier per tres vices hoc facere intenderet ab omnibus illis mirabili fortitudine se expedivit Samson: Tunc mulier locuta est ad eum. Quomodo dicitis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? per tres vices mentis es mihi & voluisti dicere, in quo sit maxima fortitudo tua. Tunc anima ejus deficiens lassata est, & tunc aperuit omne negotium: At illa dormire eum se fecit, super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Judic. 16. num. 19. Ecce ille, qui tot hominum exercitus devinxit, qui tot monstra, & leones superavit, nunc a muliebribus lenociniis devincitur, & somno traditur, ex quo devenit in manibus inimicorum, qui eruerunt oculos eius. Unde illi tanta infirmitas, qui in omnibus tam fortis erat? Undeque illi tanta caecitas, qui in omnibus adeo perspicax extiterat: cum amore captus, suo desiderio ac muliebri affectui se traderet, inde illi caecitas; & inde divino consilio factum ut talis poena eum teneret, nam a concupiscentia, ac affectu semper caecitas nascitur, Drogo de Sacramento

Passionis Domini. In tantum a nati, ait, mulierem non amantem te; ut sapientia tua stultifeceret, & fortitudo tua infirmaretur.

Apoc. 9. n. 3. Et de fumo putei exierunt locustae in terram, & data est illis potestas sicut habent scorpiones terrae.

Num. 4. Et praeceptum est illis ne laderent fenum terrae, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.

VERSIONES.

Arabicus. Egressae autem sunt ex eo fumo locustae, dataque est illis potestas aequalis potestati scorpionum.

Syrus. Et data est potestas, qualem habent scorpionii super terram.

Syrus n. 4. Et dictum est illis, ut non nocerent graminum terrae, neque ulli viridi, &c. nisi solis hominibus, qui non habent sigillum Dei super domicilium oculorum suorum.

Arabicus. Ne laderent herbam terrae, sed laderent homines, in quorum frontibus non aderat sigillum Dei.

EXPOSITIO II.

De fumo putei, de obscura & tenebrosa Haereticorum doctrina exierunt locustae in terram. Prodicunt multi haeretici locustarum similes, qui per elationem in altum salunt, & per cupiditatem in terram recidunt, terrenas delicias sectantes. Et data est illis potestas, sicut habent praestatem scorpiones terrae. Scorpiones blandi quidem sunt in specie, ac aspectu, sed cauda feriunt venenata; sic & Haereticorum sermone nil blandius, & suavius, nihil in eorum ore sonat, praeter agnitionem, & amorem Christi, tamen occulte, ac simulate mortiferum, ac pestiferum venenum diffundunt.

Et praeceptum est illis ne laderent fenum terrae. Ex quo patet non esse sermonem de locustis materialibus, nam tales locustae vivunt feno, &

31. Haeretici vulsi scorpiones.

32.

Haymo. Richard. Albertus.

33. Incipientes aliquando deficiunt. Albert. Mag.

D. Thom.

34. Aureol. Lyrant. S. Anton.

35. Alcazar.

36. Ribeir.

37. Locustae.

38. Cornelius.

& viridium graminum pasto: haec vero locustae non depascuntur fenum, ac proinde non sunt verae locustae materiales, ut dicam quaestione sequenti. Quidam per fenum, ac viride intelligunt eos, qui virorem & vivacitatem fidei habent, per arbores vero, qui spe elati bonorum operum fructum faciunt. Haymo. Richardus, Albertus Magn. per fenum terrae intelligunt incipientes, per viride proficientes, per arbores perfectiores Christianos.

Ne laderent fenum, neque omne viride, neque omnem arborem Particula omne non adjungitur feno sicut viridi; & arboribus; Albertus Magn. post excitatam hanc quaestionem sic ait. Per fenum signatur incipientes qui facile cadunt, & laderentur; aliqui tamen stant, & perseverant; ita cum dicitur, ne laderent fenum, non dicitur omne fenum. Non enim omnes incipientes proficiant, sed plures a bono cessant incepto & notat D. Thomas quod non dicitur. Ne percuterent fenum, sed ne laderent. Nam percussio ait Sanct. Doctor pertinet ad corpus, laesio vero ad animam, & justi licet flagellentur corpore, finaliter illa sunt in anima.

QUESTIO IV.

Quid significent locustae istae?

Primo Aureolus, & Lyrantus, ac S. Anton. r. p. tit. 6. cap. 1. existimant hanc praedici persecutionem Vandalicam; quibus proinde stella cadens est Valens Imperator, vel Gensericius, qui primus ex legibus Vandalis fuit Arianus, & quique mentes vexationis, sunt quinque Vandalarum reges, qui fideles infectati sunt: A haec omnia a sigillo sexto, & deinceps usque ad finem mundi spectant.

Secundo, Alcazar hanc vult nuntiari dans Judaeorum plagas, concupiscentiam scilicet & iram. Haec duae plagae, inquit, sunt locustae horribiles, atque furiosae; & quamvis, quae hic dicit Alcazar applicata concupiscentiis; optime inserviant ad sensum moralem, tamen multum distant a litterali; nam hic, ut saepe diximus, non est sermo de Judaeis, eorumque vitiis.

Tertio, Ribeira, hanc sanctam revelationem de quodam Barbarorum exercitu interpretatur, ait enim multo probabilius videtur homines ferros, & ad perdendum instructos in locustis intelligi, quod postea confirmat dicens, convenit autem haec explanatio cum foelis Prophetia, c. 1. & 2. n. 2. Chaldaeorum exercitus Judaeam vastaturus, & multum audacia, atque fortitudo similitudine locustarum multis verbis expressa sunt. Et postea subdit aliam explanationem per locustas exeuntes de fumo putei intelligens daemones, in qua etiam non quiescit dicens. Verum quoniam ordine divinae providentiae, ita se habet, ut homines plestantur per homines potius dum in hac vita sunt plestantur, homines significari pro certo haberi debet. Quod etiam potest confirmari ex Ezechiel. 2. n. 6. Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, ubi impij & peccatores dicuntur scorpiones.

Quarto, Cornelius a Lapide hanc opinionem Ribeirae dicit esse minus probabilem, &

hanc Prophetiam dicit esse intelligendam de Daemonebus, & sic ait. Locustae ergo haec erunt Daemones, qui speciem, & formam locustarum induunt: sed novam, & monstruosam, ut puta ex variis animalibus. Leone, Scorpione, equo, & homine commistam, & confarminatam.

Et hanc suam opinionem probat. Primò, Cornelius ex refutatione aliarum sententiarum. Secundò, quia procedunt ex puteo Abyss. id est inferni, ubi Daemones stabulantur. Tertio, quia sicut nunc tentant homines invisibiliter, ita in fine mundi tentabunt visibiliter, sub ramento dicta forma monstruosa. Quarto, quia etiam aliquando tentant tunc visibiliter sub formis horribilibus, ac monstruosis, ut in tempore mortis, & al quos sanctos, ut D. Anton & alios. Quinto, quia Rex horum est Daemon, cui respondere debent subditi, ac proinde ipsi sunt Daemones. Sexto, quia hominum conceptus est Daemones esse monstruosas creaturas. Septimo, quia Isaias cap. 13. n. 21. & cap. 34. num. 14. dicit Daemones apparituros monstruosa forma in excidio Babylonis.

Quinto; Cornelius non multum contentus affert aliam sententiam ex Lessio lib. 13. de Perfectionibus divinis, cap. 18. qui vult has revera fore Locustas, in qua sententia est M. Joan. de La Haye, & probatur primò, quia locustae a Moysa immisae in Aegyptum, fuerunt verae locustae, ergo & haec verae erunt locustae. Secundò, quia D. Joan. in praesenti eas appellat locustas. Tertio, quia nullum est genus animalium, id quo tanta sit formarum peregrinarum varietas de quibus agit Aldrovandus lib. 4. de insectis cap. 1. de locustis.

At contra has sententias maxime urget, quod hic nullo modo potest esse sermo de veris, & propriis locustis materialibus. Nam haec locustae per quinque menses nihil penitus comederunt; nam eis vetitum est fenum, aut quidquid viride attingere; & solum datum est eis homines torquere. Deinde, quis sibi persuadeat majestatem tanta hujus revelationis sic se demittere, ut tot verba consumat, in referenda forma harum locustarum. Tertio, quid pertinet ad plagam; quod habeant faciem hominis, capillos mulierum, & super capita coronas aureas? Quarto, ut fateatur ipse Cornel. 8. Quarta ergo. Haec symbolice, & figurate accipere cogimur, quia nulla datur propria clavis inferni, nullum etiam ejus ostium, vel hiatus, qui fumum exhalat super terram, vel solem obscurare possit: & liquet ex sequentibus locustas, utpotè tot bestiis similes, figurate accipi debere.

Nec etiam potest esse sermo de Daemonebus accipientibus tales formas: Tum quia hoc est divinare, cum nullum habeat fundamentum in sacro Text. Tum etiam usque modo inauditum est, quod Deus sic homines per daemones puniverit; & quando daemones monstruosa forma apparent, hoc est paucis hominibus, & brevi tempore, non vero tanto tempore, & quasi omnibus hominibus.

Constans, & vera sententia est, praedici in hoc capite, quasi infinita mala, quae ventura erant in mundo per haereses & haereticas, seculi, & alique errorum pessimas, & potentissimas, quae durabunt usque in finem mundi, quo maxime praevalerunt. Ira Primasius, Beda, Ansberrus, Hugo Bellarmus, Maymo, Albert. Magus, Hugo, Bellarmus, Gagnarus, Viegas, Viegas.

38. Confirmatur praedicta sententia.

Isai 13. 34.

39. Lessius.

La Haye.

Aldrovand.

40.

Impugnatur praedicta sententia.

41. Locustae novae sunt daemones.

42. Vera sententia.

43. Ansberrus.

44. Viegas.